DE ORIGINIS AORTAE ANEURISMATE DICTIO QUAM AD SUMMOS...

Benedetto Antonio Cecconi

DE ORIGINIS AORTAE ANEURISMATE
DICTIO

QUAM AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA OBTINENDOS

IN VETUSTO AC CELEBERR. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE RETULIT

BENEDICTUS ANTONIUS CECCONI

TARVISINUS

PRIDIE NONAS FEBRUARIAS MDCCCXXX

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

FAVERO · D · IOH · BAPTISTAE ·

OPTIMO · MEDICAE · ARTIS · CVLTORI

IN · VACCINAE · INSITIONE · PROPAGANDA · OPTIME · MERITO

DOCTRINA · ET · PRAXI · DOCTISSIMO

HAEC · SVI

GRATI · ANIMI · ET · AMICI · PIGNORA

D.

BENED · ANTONIVS · CECCONI

Morbos inter, quibus arteriarum systema obnoxium est, qui plerumque nisi mortales, maximo periculo certe existimantur; nemo erit, ut puto, qui omnium gravissimum et lethalem aneurysma non judicet, illud praesertim quod internas adficiat arterias. Morbus hic aortae originem obsidens quem anno 1828 percurrente amici cujusdam ope et beneficio ejus in privata praxi observavi, et cadaverica postea disectione consideravi, morbus hic nostro in coelo non ita frequens, et certe rarior, singulariorque mole qua crevit, morbus vere dignus ut iis qui medicinae operatoriae incumbunt, innotescat, in nostrae hodiernae dictionis argumentum bene credo protulimus, et astute pariter dum argumenti gravitas dicentis imperitiam et paupertatem abscondere valeat. Morbo huic cessit Joseph B. C.

S. Petri finitimi pagi satelles, non huic verum cum praecipue tuberculosae phthyseos, et confirmatae syffilidis potius victima erat. Cum ortus esset anno 1790 sanis a parentibus temperamento asthenico-excitabili donatus, cui multi ex characteribus convenerant melancholicum veterum indicantes, tribuit natura debile corpus sic animi audacis debilis minister. Vitae genus laboribus violentiisque datus continuo causis phlogisticis et transpirationis vitiis illum exponens causa fuit, ut saepe phlogosibus et pneumoniis praecipue objiceret, ex quo pulmonum suppuratio incoepit lenteque crescebat. Mos quam par est licentior Veneris munera donabat, animus tandem insolens et ferox persaepe malorum vindictae objectum faciebat. Ex hoc illi brevis vita, brevior in ipsa et brevissima salus, cum nunc pneumoniae, nunc syffilitica vitia, nunc ictus et contusiones illum angebant, et miserabili die ad trigesimum sextum aetatis annum pervenerat.

Sed lues remoto tempore adquisita, et saepe novis commerciis aucta, universalem quandam debilitatem et laxitudinem solidorum omnium servabat, qua functiones omnes torpere videbantur. Duobus ante ejus mortem annis profundum pulsantem, atque intermittentem dolorem Joseph ad cordis regionem una cum palpitatione et vehementi carotidum pulsu accusabat, verum doloris levis longo tempore intermittentis paucifaciebat. Munera jam fungit sueto animi tumore, iterum iterumque percussionibus gravatur, donec primis anni 1828 diebus

percurrentibus lecto detinetur. Dolor tunc ad dexteram thoracis partem rediit, aegrotans pulmo doluit, palpitatio iterum facta est et major.

Hisce pendentibus Februarius aderat, et tunc satelles una cum syffilide qui eum prosternebat, cum phthysi qui eum suffocabat, nova calamitas sibi superesse cogitans medico consuluit, qui symptomatibus perpensis aneurysmaticam adfectionem adesse suspicatus est (1): motibus deinceps cordis et carotidum fortioribus, respiratione difficiliori, sensus ponderis ad locum jam dolentem patebat, et tumor lente de profundo crescebat, ex quo sagaci curanti aneurysmatis jam suspicati certa fuit scientia. Tum fuit cum primo certa dyagnosis instituta est, nec prius haberi potuerat, dum ut Cooper observat: *a mala pena si può assicurarsi dell' esistenza di questa malattia prima ch' ella non sia avanzata tant' oltre da essere accompagnata da pulsazione esterna, e da tumore che possa essere sentito e veduto* (Diz. Chir. Art. Aneuris.).

Febris jam evoluta et dominantium cachexiarum potius quam aneurysmatis filia continua remittens cursum agebat, et vespere exacerbabatur orripilationibus et levi calore, dum pondus eo magis gravans, dispnaea eo magis anxia, tussis eo magis molesta longas inducebant vigilias turbulentaque somnia. Tu-

---

(1) Refertur Doct. Favero, peritissimo artis medendi cultori, cujus sub cura aeger degebat.

mor mole et duritie crescebat et jam eminebat costis, et fortiter pulsabat usque dum ingens, parum pulsans, durissimus et purpureo-nigra cute obtectus clariora signa proximae rupturae ostendebat; et hoc evenisset, nisi tuberculosa pulmonum suppuratio tumore illo aucta vitam prius eriperet, et sic infelicem tolleret qui longo tempore mortis ferrum caput minantem respexerat.

Ut caeteris malis potius quam gravanti dolori consuleret, cujus pauci faciebat, satelles medica invocavit subsidia, et se se optimo medicae artis cultori, commendavit qui et morbi gravitatem inspectam et miserandas complicationes recordatus, tali methodo manus dedit, quae nisi mala eriperet (quod Deo solum) gressus saltem moderari valeret. Fonticulum hinc brachio, datum ut pectus levaretur, diaeta austerissima praescripta, sanguinem, evacuantia et universalia et localia adhibita, validiora contrastimulantia usque ad diem extremum et hyossiamus et belladonna et acidum idrocianicum, et digitalis propinata sunt, sed frustra; dum die decembris decima octava anni illius inter suffocationis anxietates et nisus, frustra aerem vitae quaerens illi negatum, aevi miserabilis nimis ultima tetigit.

Ast aneurysma rarum et volumine super costas ut uber lactantis elatum et mutatione qua costis ipsis adfecisse necessum erat, examinis anatomico cultro valde dignum, dum hoc et medicis et archigymnasii nostri alumnis charum forsam, nec utile minus esse debebat. Politicis ita auctoritatibus quae-

sitis, a me quem amicus meus adpellare voluit, autopsia perfecta est. Observationibus nunc in encephalo et abdomine relictis, ubi nil ponderis invenimus, pectore inspecto, tumor in sinistro latere erat praecordiis superstructus conicus, depressus, parum elasticus et basis ita extensae ut octo pollicum circiter esset circumferentia. Cute et textu subcutaneo de sterno ablatis, his et musculis supracostalibus de costis, et costis fractis, pleurae vix adparebat tantum quaquaversus adhaerebat. Mediastinum ultra sternum in dextera cavitate pulsum, et in illa pulmo erat, sed non pulmo, informis potius massa puriformis ichorosa foetens, qua ablata convexitatem mediastini patebat ex opposito tumore. Separatis tunc tegumentis de tumore, ne ille laederetur, ad sinistrum thoracis cavum secto mediastino et fracto partim sterno pervenimus. Ecce saccus ingens supra cor procedens de aortae origine et pede de sinistra auricula ad arcus summitatem se se extendens; ecce cor cum pericardio deorsum et sub sterno perpendiculari statione positum ; ecce pulmo sinister partem infero-posteriorem cavi occupans, et in seri tribus libris natans. Cor erat solito minor, quadratus cordis sinus dilatatus, pulmo (mirabile!), et magnitudinis, et coloris naturalis, tantum raris tuberculis in ejus substantia inquinatus.

Aneurysmaticum nunc saccum parumper observemus. Magna arteria in tractu illo qui auriculae sinistrae et arcus summitati interest, observabatur toto suo lumine hoc est circumferentia dilatata ; anseris

ovum offerebat, cujus minor diametros pollices duo. In anteriori parte hujus dilatationis surgebat veluti moles supra molem novus tumor collum habens duorum pollicum, quod postea in globosa dilatatione sese expediebat multo majore, ita ut duorum tumorum simul emensorum circumferentia sex supra decem pollices longitudinis aequipararet. Retro autem arcum suum complere et descendere observabatur naturali lumine aorta. Aneurysmatis cavum parvo foro inspiciendo ubi minor dilatatio cum majori tumore communicabat ora laciniis veluti in secta aderat; in minori dilatatione parietes elastici erant, et tribus confecti arteriae involucris patebant; in majori flaccidae erant solamque ostendebant cellularem. Cavum laminis fibrinosis plenum et sanguine recenter coagulato, concavam vero superficiem sanguis vestiebat densiori coagulo adstrictus non omnino tamen organisatus. Peculiaris observatio costis dabatur suppositis. Secunda, tertia et quarta costa per extensionem pollicis unius semis longe de sterno in aspera superficie desinebant, nec amplius erant, imo sternum ipsum segmento ibi deficiebat.

Hocce in aneurysmate unum ex perraris observamus casibus, quos Scarpa summus ille indicat, idest quod morbosae arteriei dilatationi verum aneurysma supervenerit. Expansio enim quae tractum aortae de auricula ad arcum occupabat, etiamsi parietum structura non examinaretur, vera dilatatio trium tunicarum esse debebat, cum rationi con-

gruum sit, et Cooper memorat, si fit aneurysma (quod est ruptura tunicarum) hoc super unum alterumvè latus vasis sese extollere. Quod si Allan Bruns refert de aneurysmate cujus radix ambitum aortae amplectebat, refert pariter illum prope arteriam tres tunicas habuisse, quae postea variis in locis disruptae totidem statuebant communicationes cum altera tumoris parte, et sic aneurysma habebatur dilatationem uti nostro in casu consequens. Hic a Bruns adlatus casus unus est de quatuordecim aneurysmatibus ab illo sectis, tresdecim ab initio jam aneurysmata erant.

Aneurysma hoc rarius nobis videtur ob rosionem cui costarum cartillagines subjectae sunt. Scarpa enim Cooper, Hogdason, Ruggieri, omnesque in praxi meliores observarunt quomodo facilius ossa quam cartillagines circulationis impulsui in aneurysmatibus cedant. Pelletan ipse refert de vasto aneurysmate quod de trunco celiacae usque ad infimam aortae divisionem sese extendebat, et in duobus veluti tumoribus dexter, sinisterque partiebatur, cujus pressione continua duae ultimae dorsales vertebrae, et duae superiores lumborum partim absortae erant, dum cartillagines earum intervertebrales integrae manebant (*Cliniq. Chirurg.*). Hoc quoque ab aliis observatum.

Ex hisce omnibus certa dyagnosi statuta simplicem jam dilatationem nostro in casu habuisse et postea sese efformasse aneurysma (cum sagaciter veluti docet Papiae Professor aneurysma a dilata-

tione sit distinguendum) clare patet morbosorum symptomatum ratio, clareque causae. Et revera tanta in laceratione et compressione dolor deficere poterat pungens gravitans ? Et palpitatio dum sanguis de lato vase ad angustiorem pergebat ? Et oppressio et pondus separari poterant tanta mole cavitatem occupante nobilissimis solum data visceribus ? Fluidum praeterea sinistrum thoracis cavum occupans clare ex impedito per lymphatica humorum cursu ob compressionem patebat.

Dyagnosis certa, prognosim lethalem requirebat. Quod si Corvisart (*Essai sur les maladies de coeur*) et Pelletan quoque (*Cliniq. Chir.*) quosdam felices eventus referant aneurysmatum a natura sola, vel artis auxilio juvata sanatorum ; non tamen ita est ut sperare possimus. Praeterea nostro in casu tubercula tam numerosa, lues tam confirmata, tales erant morbi ut salus omnino desperaretur.

Simplex ergo cura palliativa et rite instituta est quae et radicali quoque methodo convenerat, et sanguinis missio rite magna copia repetita, et diaeta austera servata cum unica sit indicatio interna aneurysmata curantibus continuo sanguinis copiam imminuere, ejusque fibrinositatem, cui sanguinis missio optime convenit ; et circulationis cursum motusque cordis moderari, ad quod et acidum idrocianicum et belladonna et digitalis valide faciunt. Haec in summa methodus est Valsalvae qui ab initio usque ad tantam debilitatem, et diaetam e venaesectionibus perducebat aegrotum, ut ne de lecto qui-

dem surgere valeret, diaetam deinde paullatim augendo. Methodus haec certe valet, et radicalis appellari potest, quamvis frequentius palliativa, dum ad id quod referunt, fidem demus. Pelletan enim ipse vastum sanavit axillare aneurysma. Memorat in loco multa extare sanationis naturalis exempla: *mais on ne peut comparer le cas que nous venons de decrîre. L' état éxtrème de la maladie, l' energie des moijens employés, et l' effet immediat et successif qui en est resulté, prouvent assez que le succés a été du tout entier à l' art* (*Cliniq. Chir.*). Pelletan in opere quatuor referuntur casus sanationis aneurysmatis aortae de quindecim aliis morbi status multo palliatus est. Aliquid praeterea considerandum habemus de morbi genesi causisque. Dyathesis dari morbosae arteriarum dilatationis, raro quidem sed confirmare conamus; cum eodem in individuo plures hujusmodi abnormitates observemus. Hogdson in thoracica arteria tres invenit dilatationes, Monrò quinque observavit aneurysmata dilatationibus successa femoralem arteriam et popliteam unius individui occupantia: at satis est quod Pelletan scripsit: *J' en ai compté*, refert Clinicus, *soixant trois sur un seule homme, depuis le volume d' une aveline, jusqu' á celui de la moitiè d' un oeuf de poulle.* Haec dyathesis stare videtur in innata quadam laxitudine et debilitate tunicarum arterias constituentium, cujus in causa esse potest et discrasia aliqua dominans. Causa vero aneurysmatum proxima cum non fiat per causam traumaticam, quod raro in exter-

nis, rarius et fere nunquam in internis usuvenit; statuit Papiae professor in lenta degeneratione steatematosa, polliposa, squammosa internarum arteriosi systematis tunicarum. Et degeneratio haec necessario admittenda esse videtur apud individuum, quem vis aneurysmate adfectum, dum observationibus sagacissimis Hunter et Sir Home mentem ponere velimus. Insignis ille Chirurgus carotidem in cane nudavit, et cultro parumper caecidit partem parietis ejus ita ut admodum tenuis esset, ut sanguis transluceret. Tecto vulnere cum sex post hebdomadas adhaereret, canem occisit; arteriam invenit naturalem, parites ejus ad normalem spissitudinem restitutas. Cum autem Sir Home suspicatus esset hoc factum esse ex adhaesione cum mollibus partibus superpositis, experimentum novum instituit in femorali arteria alius canis, et pluries labia vulneris sublevata tenuit, ut nulla pars subtili parieti superstaret. Post sex hebdomadas, cane occiso, arteriam vidit ad naturale lumen, et ejus parietes ad normalem spissitudinem reductas. Ex his patet quam sit difficile solam externam causam traumaticam, et eo minus auctum sanguinis circulum aneurysmatis causam exstare, quin prius arteriei tunicae quovismodo sint affetcae.

Genesim nunc et causas aneurysmatis nostri ad complicationes et morbos praegressos individui, nec non vitae vissitudines mentem ponendo, nemo erit, ut puto, qui primo visu mihi non indicet. Quisquis novit luis effectus super organismum, quisnis no-

vit ab illa consistentia, robur, tenacitatemque textuum laedi, et consequenter fluidorum crasim alterari. Ex hoc fit ut satelles isto morbo correptus, naturale ejus robur per quam modicum esset, omne amiserat. Arteriae ipsae communis labis participantes, propriae consistentiae multum perdiderant. Aortae origo circulationis impetui plus quam caetera vasa exposita, pars fuit cui dyscrasia gravior; ibi arteria sese dilatavit, et jam magnitudini anserini ovi attincta. Joseph continuis intemperantiis, violentis motibus, ictibus et contusionibus sese exponendo, thoracis concussionibus arteria male adfecta, auctoque circulo una correpta; partim per internam vim expansivam, partim per illatas de foris violentias, cessit, et tamen internum involucrum resistens flaccidiusque, dilatabiliusque atque majori resistentiae capax per nexum fibrarum componentium, interna contra involucra scissa sunt, et sic aneurysma initium habuit, atque originem.

Pauca denique observanda superessent de mutationibus quibus ossa, cartillaginesque subjecta sunt. Eorum rosio neque cariei, neque necrosi certe tribuenda. Observationes clarissimorum in praxi virorum satis sunt, ut nos de hac re doceant, et Cooper hanc saepe veritatem observavit, et alii retulerunt. Idem mihi occurrit legendum in dictionario illo chirurgico ab eximio jam nostro praeceptore Ruggeri, viro felicis memoriae, de Gallico ad Italicum sermonem verso atque illustrato.

Cum itaque satis comprobatum sit non esse pro-

cessus ille caries, neque necrosis, quae mutatio fiet, quae pathologica erit in illis partibus conditio ut deficiant? Defectus certe non nisi actioni lymphaticorum tribuendus est. At capillaria non nisi fluida absorbent. Videretur ideo non sine re suspicari posse, et quod ossibus et cartillaginibus per compressionem nutritionem deficiendo, et ex hoc deficiendo pariter omnis vitae vegetantis processus, actioni chimicae relicta molecularum, fluidorumque ex finitimis partibus exhalatorum, de hisce et illis collatione facta, subtile quoddam fluidum aeterogenum fieret, quod commode a lymphaticis absorberi potest. Talis pressio interea agens super externam ossis, vel cartillaginis superficiem illi nutritionem auferebat, ex quo dissolvebatur. Hac dissoluta, compressio subpositum stratum adficiebat, quo pariter soluto, compressio super tertium stratum gravabat et sic deinceps. Deficiente vero pressione, libera est humorum per os, sive cartillaginem circulatio, libera est nutritio, et hinc omnis dissolutionis processus stat.

Haec sunt omnia quae nobis observanda occurrerunt in morbo ita gravi atque singulari, haec quae nobis clariora visa sunt, causas, morbosaque phoenomena scrutantibus, quaeque opinionibus clarissimorum virorum suffulta sunt, quorum doctrinae arti medendi pretiosae, sacrae, aeternae manebunt posteris cultoribus. Id omne ostendit, hunc morbum a nobis observatum non indignum esse quin ab artis cultoribus quoque observetur, ostendit quanta esse

possit quarundam organismi partium actio super alteras, cum praesertim pathologica conditio insit, et ostendit tandem quo usque abnormitatis pervenire possint partes humanam machinam constituentes, quin omnino auferatur functionum illarum integritas, quarum complexus idest proprie quod vitam adpellamus.

THESES

I.

Praedispositio necessaria est ad aquirendos morbos.

II.

In morbis curandis ad constitutionem praesentem maxime attendendum est.

III.

Aneurysmatum internorum causa in degeneratione arteriei tunicarum fere semper est inquirenda.

IV.

Tartarus emeticus stimulat.